



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. I. An per rescriptum speciale derogetur generali?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

ARTICULUS VIII.

De rescriptorum derogatione.

1584. **D**E derogatione plura jam dicta sunt à n. 1097. quæstio hic est circa rescripta Papalia, quæ, cum diversis plerumque clausulis subjecta sint, egent speciali explicatione, ubi concurrunt plura rescripta pro diversis temporibus, ut si post rescriptum generale detur aliud speciale priori contrarium; quibus positus:

§. I.

An per rescriptum speciale derogetur generali?

1585. **R**esp. si rescriptum generale nihil aliud concedat, quàm quod jure communi concessum est, & speciale continet aliquid contra, vel præter jus commune, illi per hoc derogari in eo, quo ipsi contrarium est, v. g. Titio concessum est generaliter, quòd liberè possit appellare; si Cajus impetrat rescriptum contra Titium in aliqua causa cum clausula: *sublatò appellationis remediò*, prævalet rescriptum Caij, ut habetur *c. i. h. t.* ubi cum per Archi-Episcopum Senonensem quæsitum esset ab Alexandro III. si alicujus causa delegatis iudicibus sublatò remediò appellationis committitur: & literis Apostolicis altera pars munita (quibus ei generaliter est indultum, ut liberè sibi liceat appellare) in vocem appellationis proruperit: an ejus in eadem causa debeat appellationi deferri? respondit: *quòd ejus in hac parte appellatio non debeat admitti, postquam est causa iudicibus appellatione remota commissà; quia speciale mandatum derogat generali.* Not. autem hoc procedere, licèt in rescripto speciali non fiat mentio illius rescripti generalis, nihil nisi dispositum jure communi continentis; quia tali casu non præsumitur Princeps ignorare tale rescriptum, vel privilegium, sicut non præsumitur ignorare jus commune.

1586. Dixi: *si rescriptum generale nihil aliud contineat, quàm quod jure communi concessum est; unde moveri potest quæstio, an procedat etiam in casu, quo rescriptum generale aliquid continet etiam ultra jus*

commune v. g. ut liberè possit appellare; etiam sapius, quàm jure communi permiffum sit? affirmativam sequitur Pirhing *h. t. n. 161.* volens id procedere, licèt in rescripto speciali nulla fiat mentio de contrario generaliter concessò, si per rescriptum generale impetranti nondum sit acquisitum jus in re, sed tantum ad rem; rationem sumit ex eo, quòd *generi per speciem derogetur, licèt in specie derogante nulla fiat mentio generis, c. dudum, 14, 2.* Nos igitur, *de præbend. in 6;* & confirmat ex eo; quia, licèt quis habeat generale privilegium conferendi omnia beneficia suæ diocesis, vel certi loci, si tamen Papa alicui conferat tale beneficium, antequam privilegiatus alteri providerit, ille præferendus, licèt nulla in rescripto fiat mentio, derogans privilegio generali, *c. quamvis, 38. de præbend. in 6.*

1587. *2.* id, quod affirmat Pirhing *cit.* omnino procedere in literis gratiæ. Nam in literis gratiæ, specialis gratia, omnino derogat generali, & ei præfertur, ut expressè dicitur in *cit. c. quamvis;* & notat ibid. Barbosa *v. prima generali gratiæ n. 2.* & ideo literis generalis gratiæ, inest tacitè clausula, *nisi fiat rescriptum gratiæ speciale, etiam carens clausula illi expressè derogante;* ne dicamus Pontificem, ignorato juri alieno, jam acquisito, nihilominus velle derogare; quod aliàs, ubi non exprimit, præsumi non debet ex dict. n. 1544. Unde, quando dicitur, *per speciem generi derogatur, etiam non factà mentione generis in dispositione speciali,* non debet indefinitè accipi; quia quando genus debet in certa specie verificari, cum sic potius sit rescriptum speciale quoad effectum, licèt sit generale verbis, non derogatur ei per rescriptum speciale posterius, priori contrarium *in ea specie,* nisi contineat expressionem derogantem illi in ea specie. Nam *posterius rescriptum speciale non derogat priori quog. speciali quoad effectum,* licèt verbis generale sit; sic gloss. in *c. i. h. t. v. mandatum,* Abbas in *c. Pastoralis, 14. 2. quoniam, eod. n. 3.* & alii.

§. II.

An rescripto speciali derogetur per subsequens generale?

1588. **R**esp. negativè, si rescriptum posterius non faciat mentionem prioris sub clau-